



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Synodvs Landavensis Svb Patre Vigesimo Qvinto Ibidem episcopo  
sacrilegii causa in regem Nougui in ecclesia Mainuon congregata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

*Inferius autem sic Ingulphus* : Tandem adueniente festo beati Bartholomæi apostoli, in præsentia regis, *Turketulus* monachus factus, & statim baculo pastorali a rege donatus, & ab episcopo benedictus, vniuersum monasterium cum omnibus eius possessionibus in manum regis resignauit. Qui apud London in communi Concilio coram archiepiscopis, episcopis, & totius terræ magnatibus, dictum monasterium cum omnibus terris eius, tam ab antiquo ei pertinentibus, quam ab eodem Turketulo nouiter datis ac acquisitis, dicto domino Turketulo abbati, monachisque suis reddidit, & cum charta sua (prout præmissum) liberum & solutum ab omni terreno seruitio in perpetuam eleemosynam confirmauit, &c.

ANNO  
CHRISTI  
948.

CONCILIVM ROMANVM,  
IN QVO CONFIRMATA EST SYNODVS  
ENGILENHEIMENSIS.

ANNO  
CHRISTI  
949.

**H** *VI*VS Synodi paucis etiam meminit *Flodoardus* in chronico *Hanni* DCCCCXLIX. Agapitus, inquit, papa Synodum habuit apud sanctum Petrum, in qua damnationem Hugonis episcopi apud Ingulenheim factam confirmauit: excommunicans etiam Hugonem principem, donec Ludouico regi satisfaciat.

SYNODVS LANDAVENSIS  
SVB PATRE VIGESIMO QVINTO IBIDEM  
episcopo sacrilegii causa in regem Nougui in ecclesia  
Mainuon congregata.

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
950.

**N** *OV*GV I rex filius Guriat vastauit Arcoit filium Disfaith in podo Mainuon in medio Triloc podo sanctorum Dubricii, Teliaui, & Oudocei, per iram suam & furore nimio, & violato sanctorum refugio, episcopus Pater congregauit clericos totius parochiæ infra *Taratir* & *Tiui*, propter factam vim sacrilegii. Et audiens Nougui rex aduentum episcopi, & conuentam Synodum negotio sacri-

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
950.

legii facti, & violati refugii, veniam requisivit apud Patrem episcopum & totam Synodum in ecclesia Mainuon, & redditis rebus ecclesie omnibus, cum satisfactione & lacrymarum effusione, protinus cadens in terram, vt data sibi venia, & iuncta poenitentia, largitus est in eleemosyna Deo & sanctis Dubricio, Teliauo, & Oudoceo, & Patri episcopo, & omnibus episcopis Landauia, villam *Guidcon* cum toto suo territorio, id est cum tribus modis terrae, & cum tota sua libertate, & omni communi in campis & in siluis, in aqua & in pascuis. De clericis testes sui Pater episcopus, Diffaith lector, Dunin sacerdos, &c. De laicis Nougui rex, &c. Quicumque custodierit, &c.



ANNO  
CHRISTI  
951.

SYNODVS AVGVSTANA,  
IN CAUSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ  
anno Domini DCCCCLII. tempore Agapiti papæ II.  
celebrata.

Graviter  
erravit Bi-  
nius qui  
hanc Syno-  
dum sub  
Ioanne XII  
collocavit,  
cum reuera  
ad Agapiti  
II. tempora  
pertineat,  
vt patet ex  
ara & indi-  
ctione in  
ipsius pra-  
fatione si-  
gnatis.

P R Æ F A T I O.

CVM excellentissimus piissimusque Otto rex, superna attractus clementia, non minus de negotio spiritali quam de statu Christiani imperii tractaret, in primis pontificum aliorumque primatum suorum communi consilio fretus, anno incarnationis DCCCCLII. indictione decima, anno vero regni eius XVI. sub die VII. Idus Augusti, placitum Conuentumque synodalem Augustæ fieri decreuit; quatenus concordia diligentia, tam sancti cleri, quam populi ecclesie stabilitatis profectus, & totius Christianitatis vtilitates tractarentur. Cuius diuinæ rei dispositionem per reuerendissimi atque prudentissimi Frithurici, Moguntinæ sedis archiepiscopi industriam maxime gubernari deliberavit. Geroldo etiam \* Iuuanensis ecclesie archiepiscopo, Manasse quoque Mediolanensis ecclesie archiepiscopo, Petro Rauennate archiepiscopo, ceterisque Italia, Gallia, Germaniæ subnotatis pontificibus huius discussioni operam exigentibus, Vdalrico Augustensis ecclesie episcopo, Annone Vvangionensis ecclesie episcopo, Starcando Eistetensis ecclesie episcopo, Conrado

\* Salza-  
bungen-  
sis

Concil. Tom. 25.

M ij